D. ... et Martyr.

... Ioannis Victrix sapientia,

D. Catharina Virgo et Martyr

VICTRIX SAPIENTIA,

D. CATHARINA

VIRGO ET MARTYR,

Literarum ac Literatorum

PATRONA SINGVLARIS.

Solenni Die ſua Anniuerſaria,
In Baſilica PP. Eremitarum
Ordinis D. Auguſtini:

CASIMIRIÆ

AD

CRACOVIAM

Stylo Panegyrico,

REPRÆSENTATA.

Per

PAVLVM IOANNEM DE OBORY OBORSKI,
Subdapiferid: Bielſcenſ: in Alma ACADEMIA Cracouienſi
Philoſophiæ Auditorem.

ANNO INCARNATÆ SAPIENTIÆ *M. DC. LXX.*
VII. Kalendas Decembris.

CRACOVIÆ,
Apud Stanislaum Piotrkovvczyk, S. R. M. Typogr.

Laudes SS. Catharinae et May. de P.

N. O.

E. L.



S. S.

O. C.

Candida dum gestas pro Stemmate LILIA Præsul,
Candorem mentis, Te retinere probas.

ANDREAS OBORSKI, Subdapifer: Bielscen: Studiosus Poëtices.

Illustrissimo ac Reuerendissimo

DOMINO,

D. NICOLAO OBORSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopo Laodicensi, Suffraganeo, Scholastico, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali Cracouiensi, &c. &c.

PATRONO ET MECOENATI MEO AMPLISSIMO.

V*Ictricem Sapientiam, ex Augustiniana Eremo, in Tuum Gentilitium duco supplex* LILIETVM, Præsul Illustrissime. *Ambit & illa Tuum* LILIVM, *diu iam in cælesti Capitolio palmaribus decorata lauris, vt niueus quoq; Candor eius Virgineus, non ipsa solùm heroica fortitudo, Candido Tuo* FLORE *coronetur, qui etsi per D. Patruum Tuum probâ ac miraculosâ vitâ floridum è terris transplantatum, cælo quoq; suam inuexit Coloniam, adhuc tamen feruentiùs, in Te ipso poscitur ad cælestes Coronas, in quarùm vocari venireq; ornamentum, rarum & singulare inter mortales decus an donum; quandoquidem Diuinum quidpiam præseferre debet, quòd ad nitorem & consortium Diuorum inquiritur diligentiùs, admittitur libentiùs. Nec sanè fertilior alibi, vberiorq; non humanarum materies Coronarum prouenit, quàm ad*

Tuum Natale NICOLAI NOMEN, *cui victoria ac trophæa inesse videntur. Toties enim victorioso Nomini Tuo (quod in Te nusquam otiari assueuit) paria affers opera, vincendo ac triumphando: quoties admiranda Tua in Superos pietate, in vniuersos ad Te accedentes comitate, in recedentes beneficentiâ, in administrandis Diuinis non vulgari promptitudine, in rebus præclarè gestis vix auditâ, hac sæculi tempestate, modestiâ, modicoq́ de Te sensu cunctorum animos & ingenia, mentes & conscientias efficaciter Tibi deuincis atq́ suauiter obligas; hinc est vt omnes Te velut Titum Orbis deliciũ in oculis ferant, velut optimũ Traianũ suspiciant, velut pium Numam colant & summa maximis Tuis Virtutibus fastigia voueant; quanquam iam pæne ad Superos Tuis in Orthodoxam Ecclesiam meritis prouectus sis, Tuaq́ exemplari vita non aliâ quàm Apostolicâ tanto laudabiliore, quanto rariore reliquis per honorum ambitiones euntibus, Orbe iam senescente. Et quamuis nihil sit tam præclarum, tam magnum, tam exaggeratum, quod in Tuas augustas Panegyres doctrina & virtus non inuexit: illud nihilominus maximè in Te, omni æuo celebrandum, illud ad astra, ad eruditi Orbis notitiam, & ad posteram memoriam gratamq́ omnium literatorum commemorationem deferendum, quod incõfesto ac infenso bonis artibus lustro, Mecœnatis vel Apollinis, non Midæ aut Licinij nomen & personam sustineas. Verùm cùm in cæteros Tuam meritorum multitudinem percenseo, in me quoq́ & Musas meas, Tuorum magnitudinem beneficiorum silens nullatenus prætereibo, quæ tanta sunt, & supra disertißimorum linguas calamosq́ constituta, vt vix ea, vix fortunam meam capiam: quòd namq́ eruditum spiritum in Parnasso Iagellonico hauriam, quòd doctæ Palladis consortio admotus sim, quòd errores ad magna natis perniciosos, ignorantiam & barbariem fugiam,* Tibi Illustrissime Antistes *debeo; proindeq́ beneficũ* LILIVM *Tuum, publico hoc donario incipio venerari, ampliusq́ enitar, vt hæc Tua decora æternùm in gratis pectoribus floreant, & fidâ Literarum memoriâ styloq́ fauenti perenniter custodiantur, Victrice Sapientia, Tuo sub* LILIO *securè triumphante.*

Illustrissimæ Celsitud. Deuinctissimus Cliens,

Nepos ex FRATRE,

PAVLVS IOANNES de Obory OBORSKI

PANEGYRICVS.

Diuinæ Regia Sapientiæ, Septem columnis alta ſublimibus, profundam didicit ab innumerabili ſæculorum multitudine ſeruare taciturnitatem, colere tranquillitatem A. D. Bellicum illa à portis ſuis excluſerat apparatum recepto intus ſilentio: fortes heroas magnanimoſque Duces, & ad bellum natam enutritamq; gentem ad ſuum non admiſerat præſidium, imbelli ancillarum tutamine contenta: ac ſi nunquam aut liuidæ maleuolentiæ ſpiculis, aut proteruæ ignorantiæ telis foret impetenda: cum tamen innumeri, ex longo aduerſum Sapientiam depugnent hoſtes, rudi inſcitia ſigna ferente. Porro diu in terris taciturna & imbellis audiebat cæleſtis Sapientia, amicus namque ſilentij DEVS ſemel in tota æternitate locutus; Vno in Verbo fecundus, omnem ſuam incluſit facundiam & potentiam; diu impetentia Superûm honorem & inacceſſam Numinis maieſtatem obiecta, tolerabili ſoluebat ſilentio, donec Æterni Patris, Verbum Incarnatum humana in carne inter nos audire cæperit. Hinc tandem creſcente audacia, grandem ex Orthodoxis collegit ac delegit exercitum, graueque toti mundo in ſua ſcientia deſipienti indixit bellum; non Viros modò ad certamen conſcribendo, ſed per Virgines quoque viriliter contra hoſtes agendo, Victriceſque Palmas intrepidâ dexterâ metendo, triumphales coronas impauido animo nectendo, adeò laudabili artificio, inaudita virtute, vt nouas in caſtris Diuinæ Sapientiæ Amazonas exoriri, hoſtilis ferocitas ſtuperet; ac ſtupens vel in-

uita deprædicaret: quarum plurimæ pro DEO bellabant strenuè, vincebant egregiè, triumphabant gloriosè; DIVA tamen CATHARINA primas in hac acie tenet, æque proteruâ ignorantiâ, ac malè sanâ doctrinâ instructas phalanges, in tantum fortiter ac sapienter prosternens, vt Victricis Sapientiæ titulum non per ementitum fauorem, sed per certamen prudentissimum sit promerita; Vnde nec mihi aliud consilium est, quàm communem hanc honestissimarum artium Patronam, in doctissima Auditorum corona, eodem titulo decorare; Vos tantummodò A. D. Sacrum Martem ac triumphum Diuæ Virginis locuturo, pacificos in attendendo animos, quietas in auscultando aures. tanquam præsentissimas date precor suppetias.

Magnas ipsi tantùm æternitati pares victorias, paruis impensis & exiguo belli neruo feliciter constitisse, rarò inter exempla accepimus: amat vtique & ferox Gradiuus, inter opulentos simul & fortes versari heroas, & crebriùs multò munificas, quàm tenaces palmis implet dexteras, aruorum naturam secutus, in quorum consuetudine positum est, vberiùs tum fruges proferre, cùm largiùs fecundo imbre perfunduntur. Equidem ijs in castris copiarum multitudo facilis, victoriæ certitudo infallibilis habetur videturue, & ipso plerumque fortunato euentu comprobatur, in quibus commeatûs copia, rerum, virorum & virium abundantia dominatur; expugnabiles sanè inermesque animi sunt, quos nulla præmia Ducis, nulla Principis liberalitas obarmauit, nullus aut tenuis auri fulgor ad furentem pugnam, ad sui obliuionem mortisque contemptum accendit inflammauitue; graues enim sentit eas hostis dexteras, quæ non leue ab auro accepêre pondus: promptiùs quippe bellantium salus & vita dispendio datur, vbi bene referta prom-

ta promptuaria, non grauatim, nec oſcitanter pugnaturis ingerunt ante pugnam promptitudinem. Terrarum quas Oceanus alluit, regnorum & regionum quæ Pontum & Helleſpontum, Euxinum, Rubrum & Mediterraneum bibunt mare, poſſeſſorem ac hæredem Magnum Macedonem, non ne bellicarum magnitudo impenſarum fecit? magnitudinem rerum quas geſsit, Cariam, Lydiam, Illirycos, Triballos, Iones ac vniuerſas mundi plagas horribili nomine peragrando, non ne opimus belli apparatus comparauit? Is & Xerxi ad imponendas Helleſponto compedes, Cyro ad diſſecandum in trecentos & ſexaginta alueos, inſontem fluuium Gyndem, vires animumque indidit, & non modò ad audenda ſed patranda quæq; Imperatores ac Reges quoſuis excitauit, permouit & induxit. Neq; victrici Sapientiæ Diuæ Catharinæ, aliquis omnino quem bellum poſcit defuit commeatus, è cæleſti porrò armamentario & regno, armis & auxiliaribus copijs contra Orthodoxæ Fidei barbarum Hoſtem, prouidè armata, luculenter aucta, affatim cumulata, prodijt animoſa in aciem certatura, victura, triumphatura. Poſuerat illa prima in fronte inexpugnabiles vnquam Diuiniſsimi Pneumatis donorum phalanges: dextrum latus validiſsimæ copiæ ſpei in Diuina potentia reconditæ, læuum ignitæ amoris Dei legiones tenuere. amplæ præterea reliquarũ virtutũ Chriſtianarum cohortes, ante & retro ſtationem & excubias, Argo centoculo vigilantiores agendo, vt firmiſsimum Pientiſsimæ Virgini fecêre præſidium, ita glorioſiſsimum attulêre triumphum, proſtrato attritoq; trucis tyranni furore. Bellicum vidiſtis apparatum Sapientiſsimæ Virginis, pugnam proinde mirabilem ſpectatote, quam nec Thraſimenus lacus aut Cannæ inſigni Romanorum clade momorandæ, ſpectauerunt aliquando. Venerat

 nerat

nerat solennis gentiliũ superstitioni dies, quo Sacra, minimè sacra ritusq́; publici Alexandriæ, edicto Principis celebrabantur; confluebant in proximã vrbẽ ex vicinis mapalibus atque vicis, qui vel placere nefando obsequio Imperatori studebant, vel deceptoria suscipiebant vota ad falsa Numina. Stabant ad aras vatum flaminumq́ue chori, grandes hostias & cætera victimarum genera Dijs Deabusq́; litaturi; eminens adorabatur Idolum, cui priuati publiciq́; honores haberi consueuerant, ad idque signum quod illicitè ad aram colebatur Sacrificuli concipiebant solennes Sacrificio preces, molâq́; deuotâ conspergentes animalia, superstitioso ictu in eorum frontem clauam inclinabant; augebat Festum sæua Maximini præsentia, multiplici aulicorum militumue ordine circumfusi: Implebant fanum orasq́ue vicinas populi clamores, quibus incolumitas Principi petebatur, addebant innoxios cæli haustus, nec fallentem agricolas humum; occultis verò precibus priuata familiæ commoda quisq́; optabat ab ijs Numinibus, à quibus præter perniciem conferri nihil potuit precantibus. Tum ingressa mente imperterrita delubrum D. Virgo, illatam per idololatras Deo Vero iniuriam aut vltura seriò, aut ablatura omnino, dirumpit virili impetu, heroicoq́; animo circumstantes Imperatorẽ turmas, ac si alter Scæuola ipsũ Porsenam, ipsum illa quoque Maximinum pio furore inuestigat, repertumq́; ad Christianum prouocat certamen, aggreditur impauida crudelem tyrannum, ferit eũ cominus feruida obiurgatione, abominandam & irreligiosam illius religionem culpat, improbat, & damnat, atque vltrices flammas euocat cælitùs, & omnes sacrilegos flamines libera voce persequitur. O zelum Virginis! O fortitudinem Virgineam vix inter viros reperibilem! Fateor Horatiũ Coclitem in ponte Sublicio, totam ho-

stilium

ſtilium armorum vim, ex Hetruria contra Romanos eductam, obiectu ſui pectoris ſuſtinuiſſe. Non inficior Cynegirum Athenienſem in campo Marathonio vnum millena Perſarum agmina fugâſſe, & nauim cum aufugientibus mordicùs, vbi manus ab hoſtibus truncatæ eſſent arripuiſſe, & iterum ad aciem, ad pugnam traxiſſe. At viriles hi auſus, à viris patrati ſunt, grandius miraculum credo, quod manſuetiſsima Virgo, ferum & immanem Maximinum, iuratum Chriſtiani nominis hoſtem, palàm ſpectantibus vniuerſis, inter armatos inermis, inter idololatras fidelis audentiùs obiurgauerit, ſacrificia & Deos quibus fiebant animosè deriſerit. Stupet ipſe quoque tyrannus tantâ in imbelli ſexu fortitudinē, & blandè primùm illecebris & pollicitis inuictum Virginis tentat expugnare animum. At fruſtra; trochilus aquilam, cynocephalus leonem neutiquā proſternet. minis proinde atrocibus furens idololatra mitiſſimam Virginem oppugnat & terret, mille cruces, tormēta mille votis dictisq́; ſuis aduerſanti ſpondet, parariq́; iubet. Stat nihilominus immobile ſaxum, Victrix Sapientia, minas veretur minimè. Alteram diceres bellatricem Iudith, quæ alterum Holofernē aggreditur impauida, pro Deo, pro Religione Orthodoxa, pro ſacris inter gentilium ſacrificulos æquè fortiſſimè ac prudentiſsimè agens. Sed pro Superûm hominumq́; fidem! quæ mens tua eſt ô fortiſſima Virginum! Videſné cum quo ad duellum fidenter progreſſa fueris, contra quem acerbiùs inueheris! hic ille eſt Chriſtiani nominis euerſor, fideliū tyrannus, puræ Religionis excidium. Num te latet, quot innocuas animas, diro genere mortis cælo tranſmiſit? quot ſacra capita, fatali gladio peior Tarquinio demeſſuit? Num aduertere nequis inexorabiles manus eius innocentiſſimo Martyrum ſanguine madere ac rubere? Deſine ô

Virgo agere desine! fuge crudelem conspectum! fuge tormenta! Hectoribus Achillibusúe tantum negotium committe, quod supra vires & supra sexum est extra voluntatem esto. Nihil his mouetur terreturq; DIVA Nostra. Ergo ferocia tyranni aduocat auxiliares Sophorũ cateruas, & cornutorum phalangem syllogismorum aduersum castra Sapientiæ expedit ac promouet, tanquam cum ignara sapienter pugnandi inscitia, bellum futurum fuisset; congreditur secundò animosa Virgo, retorquet promptissimè valida ad speciem tela, in re telæ araneæ simillima, miscet confunditq; certantes Sophos, ac tandem victos Triumphatori Deo Homini ducit in prædã. O prodigium! qui hostes contra Victricem Sapientiam ab exedris prodiuêre, sapientes, ij captiuato intellectu fideles stipẽdiarij Deo & Ecclesiæ ex campo regressi sunt, ac veluti Phœnices è flammis cælo & sibi renati ad nouas laureas cælestes promoti exstitêre. Aliunde idcirco & forsitan maiores Maximinus quærit sollicitus copias & stratagemata, quibus certior de Victrice iam Sapiẽtia vindicta & triumphus posset obtineri: nam tyrannicum est, tam diu à furore non desistere, donec infensos sibi morientes conspexerit: quanquam & mortuis insultare, ac in eorũ cadauera sæuire tyranni quoq; solennes epulæ sunt. Rotam ille vncis ferreis horridam Virgini imperterritæ ad terrorem ostentat, nescius hanc esse maximam viatoribus feliciter peragendi itineris partem, ad supremam Patriam, quò non nisi per ardua, aspera, & horrida rectè peruenitur: quanquam decuit Victricem Sapiẽtiam multò præstãtior triumphalis currus, ipso cælesti artificio fabricatus, impiâ carnificum non pollutu; dexterâ, currus nimirùm is, in quo æterna immortalis Dei gloria nitentium ad varietatẽ syderum, fulgidâ frequentiâ circũdata vehi per stellatas Regiones consueuit.

quo-

quocirca vnus è medio superni exercitus heros, ignito armatus fulmine totum illud nefarium & ad crudelitatē compositum opus, illico disrupit, confregit, disiecit, partibusq; disiectis multos è fœda tortorum colluuie enecuit interemitue. Ita profectò artificium malum artificibus pessimum ac exitiosum esse debuerat! Ita miserandā Perilli sortem quam apud Phalaridem Agrigentinorum tyranū subiuerat, renouari conducebat, qua de re Poeta

Et Phalaris tauro violentus membra Perilli,
Torruit, infelix imbuit author opus.

Accessêre præterea magnanimæ Virgini in solamen subsidiumq; diuersi heroes, illamet suadente, vero Numini, fidei Sacramento obstricti atq; pro Christiana militantes Religione, stipendio Supremæ beatitudinis ditati, inter quos nobile duxit agmen ipsiusmet ferociētis Imperatoris Coniunx, cælestis verò Sponsi per fidem susceptam pientissima Sponsa, celebrando martyrio desponsata, ac proprij sanguinis pretiosâ purpurâ decorata. Aderant insuper alia Victrici Sapientiæ opportuna præsidia, cùm tota pœne Alexandria in eius partes abire videretur, à tua scelesta maiestate scelerate Maximine turmatim discedendo, ne crudelitas tua seu tutamen seu velamen ex circumstante thronum multitudine habuisset. Vnde perpende quàm vanus irritusq; sit furor tuus? en innocentiæ Virginali ipsa tua Metropolis & aula patrocinātur, cælo eidem opitulante. ignes, equuleos, rotas & quidquid immanis sæuitia adinuenit, colligis & paras? at Sacram Virginem hæc profana molimina omnino reuerentur, quæ inexstincto Sponsi cælestis æstuans amore, plura, maiora grauioraq; prompta est perferre & pati. Virum hîc Alcidâ fortiorem, Hectore animosiorem, Camillo constantiorem, Vlysse prudentiorem, Virum inquam in persona Virginis non imbellem Virginem

cogita, cui plus alacritatis animiq́ue eſt ad tolerandum diuerſiſſimum licet tormentorum genus, quàm tibi ferinæ mentis ſæuiq́ue ingenij ad inueniendum. Verumtamen ſiſti non poteſt furor tyranni, niſi alieno imbuatur cruore, aliter exſtingui nequit niſi perfuſo ſanguine innoxio. Imperat crudelis Maximinus Auguſtiſſimam Imperatoris Filiam dirè per ignem, per ferrum torqueri lacerari ac tandem decolari, quaſi reſecto capite Victrix Sapientia, nullatenus de tyranno eſſet triumphatura. Fallitur dira tyrannis! præſtantiùs apud Diuos Indigetes triumphat nemo, quàm qui proprio capite in cauſa ſupremi Eccleſiæ capitis priuatus currit ad brauiũ, ad quod & DIVA Noſtra ocyus properando caſtiſſimam ceruicem, ad ictum enſis alacriter protendit, vt vno eodemq; ictu immaniſſimus fidelium ſector cum impudentiſſima idololatrarum cohorte concidat æternùm, vt ſic per calcatum tyranni verticẽ, Victrix Sapientia ad altiorẽ conſcendat triumphum, ad auguſtiorẽ euehatur applauſum, cuius Capitolium præcelſus Sinaiticus mons ab Angelicis legionibus circumſeſſus, & plena præconij laudisq; interminatæ Reſpubl: Superûm, rari inter virgines triũphi, ſpectatrix perauguſta. Meruerat equidem D. Virgo tantos Spectatores, quæ tam heroicum facinus in cauſa vindicandi Diuini honoris exercuerit, totam debellando Herebi potentiam, in attrito Imperatoris furore, & quod ſtupore dignius validum agmen obſtinatæ gentilium ſapientiæ prudenter vincendo, atque primos in falſa Philoſophia magiſtros æternæ Sapientiæ Dei Hominis reddendo diſcipulos. Sunt & hæc Tui triũphi ò Victrix Sapientia non modica encomia, quòd Eremus quoque Auguſtiniana montis Sinaitici æmula, Romanæ murus, & clypeus Eccleſiæ, ſcientiarũ quarumuis emporiũ, fons & firmamentũ, eundem quotannis celebrãdo augeat, &

augendo celebret, vt magna Tua in DEVM merita & laudes per Augustissimā Magni Aurelij propaginē, magnitudinem valoris honorisq; apud præsentē & posthumam mortalitatē, imò apud ipsos cæli hæredes recipiat abundè possideat firmiùs. Decet admodùm Præsidem studiorū ab eruditissimo Augustiniano Ordine coli laudariq; impensiùs, ne suos tantùm fabulosa Pallas iactet in Parnasso & Helicone cultores. Decet Victricē Sapientiam inter laureata tum ob sublimem doctrinā, tum ob largè effusum in certamine fidei sanguinem, Augustiniana capita repetitos agere triumphos. Decet crebriùs hîc altâ voce ingeminari Io triumphe! Vincenti Virgini Sapientissimæ, vbi innumera Victorum ignorantiæ, atque infidelitatis agmina numerantur. Initium laudabilis huiusce numeri nobile illud Germaniæ decus sit Thomas de Argentina, vitâ Apostolus, ore Tullius, ingenio Angelus, fulmen impudentissimi Wicleffi cōtra Iouem Romanum impudēter assurgentis. At Gregorius de Arimino Lucerna splendens appellatus, pari cum encomio eandem ingreditur seriem, par sanctimoniâ Sanctis, eruditione doctis, acri iudicio solertibus. Neque Gerardus de Senis doctrinæ Ægidij Columnæ præstans fulcrum, copiosa, destituitur panegyri, cùm etiam post obitum Lauream Doctoralem non cupressum, raro immò vix audito adeptus fuerit exemplo. Sed Michael quoq; Cardonet agrum Valentinum vbertate imbrium vt Nilus campos Ægypti ad vota ciuium prodigiosè perfundens, in admirationem suæ thaumaturgæ pietatis ac eruditionis rapit mentem animumq; meum, adeo vt exclamem; *O nimium dilecte Deo cui militat æther!* Dignus est & Andreas de Monte Regali inter tantos censeri Viros, cùm copiosum de animis mortalium suo præclaro eloquio ac exemplo, cælo fecerit censum. Non ausim ad

cæte-

cæteros deflectere in quibus referendis die longior esse: nam quis ex Magni Aurelij Stirpe non Summus literis vita ac ingenio? porro in peraugusta D. Augustini Eremo, nulla planta absq; venustate & fructu esse potest. Noscitur commodè ex claritudine filiorum eximius splendor paternus. Verùm ad te iterum Victrix Sapientia in agone sermonis mei regredior, ne delicium insipientiũ moram. s. ambire videar. Venisti gressu fidenti ad immania castra Maximini; Vidisti iuratos in iniuriam Dei vitamq; Tuam gentilium manipulos; Vicisti rebellem superis gentem, ac tandem Victricem quâ nunc fulges obtinuisti coronam, ciuicis, naualibus, obsidionalibus cariorem, nam æternam & omnem humanam artem supergressam; ancipitẽ quo barathri monstra terres, Tui verò cultores tueris, hostibus animosa extorsisti gladium; rotam in Tui perniciem exstructam, in Tuum decus & insigne fortitudinis conuertisti. Ergo coronata splendidè, armata firmiter, decora mirificè, in nostram felicitatem coronatos, Serenissimum Michaelem, ac Serenissimam Eleonoram, Regem ac Reginam Poloniæ, incorrupto decore Tuo exornes, palmaribus armis circumsepias, orbeq; adunco ad summã Orbis Lechici fortunam euehas vtrumq; nec non aduersantes illis atteras mentes, rebelles deprimas animos, atq; Iagelloniæ Palladi Tuis innixæ auxilijs, auxiliares ne differas vnquam contra maleuolorum rabiem ferre suppetias. Te profectò pro domo sua fortiter bellante, malignantium insultus, machinationes, ac impetus reprimet gloriosa, stabitq; immota semper rotæ Tuæ stabili insistens perpetuò, Victrix Tuo patrocinio perquoduis æuum, de insidiantibus integritati suæ dolis, iugi triumpho, Te triumphante potietur.

D I X I.